

320

318

324

314

329

309

369

269

419

219

Ende

Anfang

305

Ecce, quantum iterum evagatus sum de proposito, sed iam redeo. Capella praefata sub monte Calvariae est Christianorum de Nubia, qui ibi officia sua celebrant, et dicunt, quod rex Melchior, unus de tribus Magis, de quibus habetur Matth. 2., erat rex Nubiae, qui, dum de Nubia prope Hierosolymam venisset, urbem ingredi non voluit, sed juxta montem Calvariae hospitatus fuit, ideo sit eis hic locus datus ab antiquo. Ideo hac capella officiis processionis finitis et indulgentiis acceptis (†) recessimus.

De loco illo, ubi corpus Christi inunctum fuit et
linteamine vel sindone involutum.

Exeuntes autem a capella illa de pede montis Calvariae processimus ad IX passus cum hymno: Pange lingua gloriosi proelium certaminis, de passione Christi, et venimus ad locum, in quo in ecclesiae pavimento jacet niger lapis, quibusdam rubeis maculis respersus, bene politus, qui dicitur ibi fuisse tempore passionis Christi juxta sepulchrum Joseph ab Ari-mathia. Nam Judaei suos lavant mortuos, et super tabulam ligneam aut lapideam corpus ponunt, et officia consueta expletant lavando et ungendo. Joseph ergo, qui sepulchrum sibi exciderat de petra in eo loco, etiam tabulam marmoream politam sibi fieri fecit, in qua corpus suum lavaretur et ungeretur. Sed sicut suum sepulchrum Christo tradidit, ita et lapidem loturae. Cum ergo Joseph et Nicodemus cum suis adjutoribus corpus Christi de cruce solvissent, portaverunt ipsum huc, et nudum super hunc lapidem sanctum posuerunt, ibique unguentis foventes vulnera linimentis et in sindone munda involventes; (B) et in hoc funeris officio affuit gloriosissima et moestissima Maria, sedens, et in sinu suo caput vulneratum filii habens, ipsumque sudario circumligans, et Maria Magdalena pedes sacros, quos etiam in vita unixerat, diligentissime ungebat, et juxta necessitatem ipsum pretiosissimum corpus in hoc lapide evolvebant. Super hunc sanctissimum lapidem, pro dolor, imprudenter steti, ut supra fol. 109 A. B. patuit. Hunc lapidem cum processione circumstetimus, et cantibus finitis unus post alium provoluti ipsum

